

Haec omnia suprascripta in virtute sancte obedientie mandamus et precipimus ab omnibus Religiosis huius monasterii et societatis observari: et observatores vos omnes confidimus, alioquin contra transgressores rigide secundum statutorum prescriptum procedere cogemur. Et ne quis de fide constitutionum harum dubitet, iisdem propria manu subscripsimus Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo octavo die octavo Januarii.

frater Emmericus Andreae
abbas Sancti Michaelis Antverpiensis.

* * *

SECUNDA ADMONITIO ET RECAPITULATIO ARTICULORUM PROPOSITORUM. 28 MAART 1588.

Fratres mei, omnibus vobis constat qualiter die octavo mensis Januarii ultimate elapso vobis proposuimus quosdam articulos pro restauratione collapse Monasterii discipline necessario observandos uti per relictum patet: quos tamen satis parum curare videmini cum tamen undecim menses intercesserint, quedam observatis, quedam vero non ²⁾).

Imprimis de horis tam diurnis quam nocturnis etiam de Domina quam tempore persolvendis, a quibus se nemo Religiosorum omnium absentare potest, etiam celebraturus matutinalem missam que post decantationem hore prime fieri solebat: verum ea ordinatio non placuit vobis ex quo contrarium facitis.

Martyrologium et cetera in medio Capituli ante pulpitum sunt persolvenda; textus Regule in septem capita distinguendus uti singulis septimanis semel totaliter persolvatur, ne per oblivionem aliquid illius negligatur.

Omnes religiosi eque bene obligantur ad legendas commendationes post decantationem hore prime sicuti ad legendas vigiliis mortuorum: quare easdem de cetero more solito observabitis.

Singulis feriis sextis ante decantationem hore prime ab omnibus disciplina est ferenda.

Silentium temporibus et locis in statutis expressis observari preceptum est: obambulationes in templo omnino interdicte.

Nullus etiam presumat ad abbacie partem venire aut claustrum exire nisi causa prandendi vel coenandi: et (f. 209 r^o) tunc omnes non particulatim sed unanimiter et simul, presidenti conventus prae-

2) De kopij schrijft klaar: *undecim menses*. Het is zeker foutief, zooals blijkt uit de datatie van beide admonitiones.

eunte ad reficiendum venire ut olim solebat fieri quando Conventus apud abbatem prandere vel cœnare solebat, cœteris subsequenter. Cum scriptum sit : simul ambulent et simul stent.

Et quia cautum est quod omnes Religiosi, non solum claustrales, verumetiam curati debeant migrare ad eam conventus partem a vicario generali ³⁾ designatam ; et huic precepto, omnes, excepto fratre Aegidio Gottigniis ⁴⁾ obedierunt. Quia igitur in hanc usque horam inobediens fuit et mandatis superiorum suorum obedire contempserit et idipsum nobis dedecori et vituperio cedit et multa scandala et obloquia oriuntur, pro servanda admonitione mandamus intimamus ac in virtute salutaris obedientie precipimus ut ad predictam conventus partem commigret infra quindenam et ibi cum ceteris conventum teneat nec de cetero inde facile exire presumet nisi de speciali abbatis licentia, et interim ipsi nec cibi nec potus aliquid subministrabitur nisi velit communem frequentari mensam. Si vero obedire contempserit, sciat se incursum censuram ecclesiasticam si tertio se moneri permiserit.

Etiam sub pœna excommunicationis inhibuitur est ne Religiosi foeminas intra septa monasterii adducunt : quod minime observatis.

Nullus etiam de cetero, sive sit Pastor sive claustralis, sine speciali abbatis licentia presumat monasterium exire quacumque ex causa. Quisquis vero aliter facere presumpserit, tamquam apostata habeatur.

Quia secundum Regule prescriptum nemo extra horam prandii aliquid alimentorum sumere debet nisi cum egrotat : ideo omnes commessiones, computationes et ebrietates plane interdicte sunt. Quare quilibet secundum eam ordinationem sese conformare (f. 209 v^o) studebit : alioquin contra transgressores rigide, secundum statutorum prescriptum procedere cogemur.

Silentium etiam continuum sine ulla dispensatione, etiam Presidentis conventus, in diebus piscium tam in prandio, cœna, quam in collatione, maxime debet observari. Diebus carnum parce admodum et solum de licitis et honestis sine tumultu, clamore et strepitu loqui licebit.

Decretum etiam fuit quod in collatione omnes simul accumberent mensae et non aliter : et hoc sub continuo silentio. Et cum ab accubitu surgitur, e vestigio et statim sine ulla interposita mora redire

3) Deze vikaris is prelaat van Vlierden der abdij van Park. Uitvoerige bijzonderheden in het vermeld proefschrift.

4) Van de weinig interessante persoon, die Gilles van Gottignies hiet, hebben we het curriculum vitae gegeven *ibid.*, jg. I, 1925, bl. 169, nota 2.

ad ecclesiam ad Completorium persolvendum, ut alibi ordinatum est : hactenus vero omnino contrarium factum est. Quare etc.

Decretum est etiam quod quilibet Religiosus in charta conscribet ordine, sine ullo dolo et fuco, omnia et singula que ex mobilibus abbatiae in proprios usus applicaverit : similiter que vendita et alienata, quibus, quove pretio, etiam coëtera mobilia, que ipsi adhuc presentualiter in usum concessa sunt. Id omnes demptis duobus, videlicet fre Aegydio a Gottingnijs et fre Joanne Turnhout ⁵⁾ impleverunt. Quare iisdem precipimus ac in virtute salutaris obedientie mandamus, ut infra quindenam idipsum compleant, et hoc pro secunda admonitione : caveatur tertia.

Item decretum fuit quod illi qui sede vacante fuerunt administrationis et reliqua : verum in hanc usque horam nihil inde fuit subsecutum : Igitur pro secunda monitione hortor ut idipsum exequantur.

Si quis vero dicat aut inferat se esse pastorem et ideo eidem liberum esse faciendi cuncta pro arbitrio suo, ac sua pastoralis libertate (que multum noxia damnosa et scandalosa est) frui se : Dicimus ingenue, quod nostra voluntas est quod (f. 210 r^o) quamdiu aliquis in hoc monasterio degere decreverit et communi mensa frui, quod debebit vivere sub nostra obedientia et per consequens sese tam in diurnis quam nocturnis horis frequentandis, sine tergiversatione ulla ceteris conformare. Si quis vero huic mandato parere contempserit, de cetero ei nihil de culina et penuario subministrabitur nec communi mensa gaudebit : imo potius vel propria industria vivet vel migrabit : cum scriptum sit qui non labore non manducet. Et, utinam abscindantur qui vos conturbant.

Novelli sacerdotes solebant tempore quadragesime singulis annis singuli facere collationem in loco capitulari.

Nequeo satis mirari quare vos, in hac monasterii nostri quasi extrema necessitate et penuria, intendatis nobis cotidie tantas molestias et gravamina imponere et inferre, et multa preter necessitatem exigere cum sciatis scriptum esse ita danda esse necessaria (et hoc secundum facultatem ecclesie) ut etiam superflua demantur. Quare mirum vobis videri non debet etiam si aliquando negentur petita : Unde etiam cotidie fere magnum murmur, contumeliam, rebellionem

5) Over Jan van Turnhout hebben we weinig gevonden. Hij komt voor noch in de prelaatsverkiezing van 1585 noch in deze van 1590. Alleen weten we dat de vikaris van Vlierden op 27 Maart 1587 een bevel uitvaardigde hem uit het gevang in Sint-Michiels over te brengen naar het gevang te Heilisseem. Archief der abdij van Park, VII, 65, f. 41 r^o.

et irreverentiam, in vilipendium vestri superioris (cui perfectam in Christo obedientiam et reverentiam prestare tenemini) facitis : in maximum periculum animarumstrarum. Videmini omnia sine necessitate inutiliter consumere velle : cum tamen deberet haberi, maxime hoc calamitoso tempore, aliqualis respectus miseriarum. Ego cogor secundum facultatem ecclesie tenuiter et frugaliter preter qualitatem persone mee victitare : vos similiter curare deberetis : ut aliquomodo evitaretur periculum in quod timendum est quod incidemus nisi tempestive provideatur ; veluti exercitium cultus divini deserendi, ecclesiam occludendi, ab invicem separandi et quemlibet fore sollicitum de victu et vestitu, aut cogi ad alias remotas ecclesias migrare. Nam periculum est in mora, sicuti Reverendo D. Abbati Parcensi (f. 210 v^o) tamquam vicario generali satis ample significavi. Igitur hortor vos ut tempestive ab his excessibus et petulantiiis abstinere. Interim supprioris officium est de his omnibus vos coercere et in debita observantia monastice discipline : cum scriptum sit cap. 2 dist. 2 statutorum : De cetero presente Abbate et absente, intus et foris de omnibus et in omnibus secundum voluntatem Abbatis se habeat. Item Priores et Suppiores, quorum tempore dissensio contra abbatem in domo sua orta fuerit, si participes fuerint, vel dissensioni non restiterint, in domo propria minime manebunt : sed ibunt ad ordinem ubi abbas voluerit. Item cap. 3 : supprior in claustro tempore lectionis et ubicumque fuerint fratres, ut ordinate se habeant, sollicitè procurare debet.

Plura quidem necessario essent indicanda : sed hisce supersedebimus. Haec vero supra scripta vobis scripto proponere decrevi ne aliquando ignorantiam pretendere possitis, cum labente tempore facile memoria elaberentur. Eadem omnia referens ad relictum nostrum octavo Januarii publicatum. Que ad omnia simul cum omnibus suis articulis adamussim absque remissione ulla a vobis omnibus observari, secundo in virtute sancte et salutaris obedientie mandamus.

In cuius rei testimonium presentes proprio nomine subsignavimus die 28 Martij a^o Dni 1588.

fr. Emmericus Andreae
abbas Sancti Michaelis Antverpiensis.